

ritate qua praeditus eras, ei dicas, exigas et imperes ut precellam mitiget, que undequaque nobis circuit, et felicem momentum magni temporis nobis acceleret. Proinde super gregem tuum privilegiatum oculos tuos misericordiae converte; tamquam filios tuos dilectissimos vide nos et noli nos relinquere, ut tuas divinas actiones imitantes, nostram spem adimpletam videamus, et in Ecclesia simus, Institutum amoris tui praedilectum.

Nos hæc sublimia, &c.

R. Deo gratias.

R. Immaculata Maria et divinus Joseph desponsati et in virginitate perseverantes. \*Nobis dederunt exemplum. ¶ Tum filium virginitatis Mariæ, tum in virili sexu a Deo posse esse consecratum. Nobis dederunt....

## MES DE AGOSTO.

—DIA 1°—

LECTIO I.

—EX DOCTORIBUS.—

Dignitati Sanctissimi Josephi debetur integritas et puritas carnis; etiamque debetur integritas et puritas mentis quae est sanctitatis effectus.—*Eguiar.*  
—Puritas Sanctissimi Josephi debuit esse Marianae simillima; atque debet esse ipsa virtus virginitatis inhaerens animae et perseverans.—*Bernard de S.*  
—Fuit moraliter necessarium ut Sponsus Virginis benedictae esset ipsi virtutum operatione simillimus.—*Ger.*—Sanctissimi Josephi dignitatem esse formam ipsum formaliter sanctificantem, cedit in ma-

ximam ejusdem gloriam; atque neque Scripturis, Conciliis, traditioni, aut apostolicae alteri definitioni opponitur.—*Eguiar.*—Neque Patribus, neque rationi disonum..... ergo id pie probabiliter dici potest.—*Eguiar.*—Dignitas Sanctissimi Josephi ut formaliter sanctificans, quia pertinet ad ordinem hypostaticum.—*Suar*—Sola præstantia dignitatis Sanctissimi Josephi excludit ab ipso Josepho omne peccatum grave, etiam veniale, etiam imperfectiones, etiam excludit ab ipso peccatum originale; quia pertinet ad unionem hypostaticam.—*Jos.*

Nos hæc sublimia mysteria mirantes, et ut finem huic divinae lectioni apponamus, ex toto corde et ex tota anima nostra dicere volumus: Jesu, Maria et Joseph cor et animam meam trado vobis; esto mecum in ultimo agone; et cum pace et vobiscum spiret anima mea.

R. Deo gratias.

R. Dilecta Joseph non sanantur sine confusione nec produntur sine confusione. \*Si celantur sunt insanabilia, si videntur sunt detestabilia. ¶ O tu pie et potens, ne auferas tuam misericordiam a nobis. Si celantur....

LECTIO II.

*Esurivi et dedisti mihi manducare.*

Omnipotens Deus, quibusdam presumptuosis et superbis hominibus ut suam monstraret potestatem, et quoniam ipsi adversus eum rebellare conabantur, ut suam patefaceret antonomiam ait illis: si famem habuerim, frumentum a vobis non peterem, quoniam mea sunt terræ animalia, mei maris pices, meæque aeris aves. Sed in diebus illis, eo modo Deus Sanctam voluit Josephum glorificare, ut ipsi idem dicere

non possunt. Quoniam jam Verbum Incarnatum, cum esset Puer, famem habuit et a Josepho manducandum petit; sitim habuit, et Josepho bibendum rogavit; nudus fuit et a Josepho accipit vestimentum; et in manibus Josephi, totam posuit ut ita dicam, omnipotentiam suam, et filius suus se fecit! cui subditus erat. Oh honorificentia erga Josephum, Quæ magnitudo in Altissimi mente! Quam sine alio qui similis ei fuerat, adhuc inter homines! Et quomodo inter angelos et archangelos supereminet! Ipsum nos considerantes, invenimus ut Deus ille qui homines creavit, qui bruta favet, qui aves alit ille ipse est qui a Josepho panem pet. Quis hoc dicere poterit de se? Verum tantum Joseph hoc affirmare potest. Ergo, Josephum amare debemus, eum magis magisque agnoscamus, magno cum zelo Josephum omnibus gentibus monstremus sicuti est, faciamus ut opera nostra josephina magis ac magis ostendantur; curemus ut nos providentiæ species simus gratia cultorum josephinorum, et omnes resolutionem capiemus et in vita et in morte ad majorem Josephi honorem et gloriam consecratos esse, media observantia nostrarum Regularum, felici observatione nostrorum votorum, et majore diligentia vivendi juxta nostri Instituti spiritum.

Nos hæc sublimia mysteria mirantes, et ut finem huic divinæ lectioni apponamus, ex toto corde et ex tota anima nostra dicere volumus: Jesu, Maria et Joseph cor et animam meam trado vobis, esto mecum in ultimo agone; et cum pace et vobiscum spiret anima mea.

R. Deo gratias.

R. Desponsatio Deiparæ cum Josepho utilis fuit.

Ut a Christo persecutio tollatur. ⁊ Ut humilitas et charitas Dei ostendatur et omnes salvi simus. Ut a Christo....

### LECTIO III.

*Esurivi et dedisti mihi manducare.*

Ut magis ac magis Sanctum Josephum diligamus, ut Sanctissimi Patriarchæ ideam plus integram habere quotidie curemus, ideam, dicam, gloriosam ac convenientem attentio nostra super unum gloriosum signum immoremur in die tremenda universalis iudicii ipsum considerantes, et in ipso videbimus hominem sanctum plus apud Deum honoratum, nec non apud angelos et apud homines ante terræ et cœli conspectum. In illo die Jesus Christus bonis dicet: Venite benedicti Patris mei, possidete regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere; nudus eram et cooperuistis me; hospes eram, et collegistis me. Et Joseph, magna cum humilitate, majore cum veritate, dicet ei: Verum est quia esurientem vidi te, et bibere tibi dedi; nudum; et cooperui te; hospem et collegi in domo mea, et verum est, quod dum ab Herode fugiebas salvavi te, comes fui tecum et te servavi. Quæ gloria Josephi! quæ privilegia Josephi! quæ divitiæ eius in cœlo! Quanta cum magnificentia ipsas nobis omnibus communicabit! Quanto cum affectu no filios suos de cœlo considerabit! Quomodo super nos torrentes sui patrocinii effundebit! Ah! Josephum diligamus; eum diligamus toto corde; eum amemus tota anima; eum diligamus totis viribus; eum diligamus omnes semper, in tempore, ut cum diligere possimus in æternum.

Nos hæc sublimia mysteria mirantes, et ut finem huic divinæ lectioni apponamus, ex toto corde et ex tota anima nostra dicere volumus: Jesu, Maria et Joseph cor et animam meam trado vobis; esto mecum in ultimo agone; et cum pace et vobiscum spiret anima mea.

R. Deo gratias.

R. Joseph conjugio excellentissimæ Virginis Mariæ indignum se judicabat. \*Et si Maria turbata est in sermone Archangeli. ⁊ Joseph vir ejus turbatus est et volebat dimittere eam. Et si Mariæ....

—DIA 2 DE AGOSTO.—

LECTIO I.

—EX DOCTORIBUS.—

Sanctissimus Joseph vi propriæ dignitatis fuit proxime diligibilis supernaturaliter a Deo, capaxque ipsum Deum diligendi cum quadam superioritate in ipsum Deum hominem, respiciebat enim Deum ipsum hominem ut filium Pater, et cum omnimoda, ingenua et nobili subjectione diligit ipsum a quo diligitur.—*Egwi.*—Dignitas Sanctissimi Josephi per se formaliter tribuit ipsi jus in omnes creaturas, etiam supernaturales et sanctas, quæ proinde ei obedire tenentur, jusque quoddam et superioritatem in purissimam Virginem uti in uxorem, et ipsum Dominum Jesum Christum ut Filium suum.—*Egwi.*—Dignitas Sanctissimi Josephi ex magnitudine suæ excellentiæ requirit ad sui existentiam physicam plenissimam animæ puritatem, et petit ita sanctificationem in utero ita ut sit revera etiam immaculatus ab initio sui esse.—*Jos.*

Nos hæc sublimia, &c.

R. Deo gratias.

R. Ille bonus filius hominis venit perditum Sponsum salvare. \*Et tu Joseph Pater Jesu non poteris perditum ad te clamantem non curare. ⁊ Fugiamus ergo ad pium Patrem misericordiæ Dei. Et tu....

LECTIO II.

*Joseph fuit super omnes angelos glorificatus.*

Non multum immorare fas est, ut Sanctum Josephum agnoscamus, super omnes homines glorificatum fuisse. Quod, videtur, tot sunt rationes, favore nostro, quot sunt motiva quibus apud homines quoque glorificatus apparet. Angelos, hominum custodes et magistros Deus facit; archangelis principum, et regum cura comendat; principatibus provinciarum et regnorum; sed neminem ex summis principibus custodem Filii sui fecit, quamvis multi ipsorum, ipsum comitabantur et serviebant tamquam ministri et famuli, Josephum tantum Æternus Filii sui fecit Patrem ut eum custodiret. Quam magus est Sanctus Joseph! quæ dignitas cum eius dignitate conferri potest? quæ excellentia æquiparari eius excellentiæ? Sanctus Raphael unus ex principibus gloriæ, selectus fuit ut servo Dei Tobie comitaretur in peregrinatione quæ ad Rages fecit; et Josephum sellegit ut Filio suo comitaretur omnibus in viis suis; S. Gabriel, secundus legatus, electus fuit, ut angelus esset Incarnationis, Beatæ Mariæ mysterium nuntians; sed Joseph electus fuit, ut dignissimus Mariæ Sponsus, ut ipsi nuntiatum fuerat Incarnationis mysterium in utero divinæ suæ Sponsæ. Et sicut ista vera ejus erat Mater, ita et Joseph futurus erat verus Jesu Christi et virginalis Pater. Ah! Josephum diligamus,

quoniam servus est fidelis et prudens, cui Dominus constituit Sacrae Familiae caput.

Nos hæc sublimia, &c.

R Deo gratias.

R Divinus Joseph conservabat in corde suo omnia.\*Quae dicebantur de Puerio Jesu per pastores, per tres reges, per Simeonem, per Annam, et per coeteros. ¶ Conferens in corde suo ex admiratione et excellentia. Quae....

### LECTIO III.

*Cui angelorum dixit Jesus: Filius meus es tu?*

Sublimiores etiam seraphim cohorrescunt metu ante Deum, qui duobus suis alis juxta Isaiæ visionem, oculos suos cooperiunt, tamquam non eum videre conantes; sed Joseph Dominum propriis suis oculis videbat, ad ipsum accedebat suis brachiis amplectebatur, labiis suis osculabatur et absolute Jesum tractabat, sicut Pater ad Filium suum muneratissimum. Omnes summi spiritus Domini ministri vocantur, sed Joseph, ita superior omnibus angelis est, ut nomen et officium Domini Patris habet. Cui angelorum seu archangelorum dixit Jesus: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Sed Deus aliquoties ait Joseph: Tu es Pater meus et ego suum Filius tuus; nam, quamvis Jesus, sicut Deus; ab Æterno existit, tamquam homo, est, ut ita dicam, et Josepho virginaliter conceptus, per consensum suum, qui Angelo dedit similiter ac Maria, ut in lucem proderetur angustum Incarnationis mysterium. Super hoc ipsum Isolanus refert, Jesum Discipulis suis dixisse: Ego cum Josepho loquebar in omnibus, ita ut si ego filius eius essem. Ille me vocabat filium et ego eum patrem appellabam: et ipsum tamquam oculorum

meorum pupillam diligebam; Simili modo Jesus, interrogantibus responsum dabat, cujus erat filius, dicens: Josephum esse Patrem suum est Joseph diceret, Jesum esse Filium suum; et idem Maria cum Jesu loquens dum in templo ipsum invenit ei dixit: Fili, quid fe xisti nobis sic? Ecce Pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.

Nos hæc sublimia, &c.

R Deo gratias.

R Immaculata Virgo Maria electa fuit ab Æterno. \*In Matrem Dei. ¶ Divinus Joseph electus fuit in Patrem Dei, sicut illa. In Matrem....

### —DIA 3 DE AGOSTO.—

#### LECTIO I.

—EX DOCTORIBUS.—

Dignitas S. Josephi consistit, tum in decreto divino ejusdem electivo in Dei hominis parentem, et Sponsam beatæ Virginis; tum in relatione secundi generis ad Filium et Sponsam.—*Egvi.*—Decretum divinum in favorem Sanctissimi Josephi est Dei sanctitas, utpote cum ipso Deo realiter identificata.—*Egvi.*—Relatio Josephi ad Filium suum, Jesum imbibit constitutive ipsum Filium, atque adeo Dei sanctitatem.—*Egvi.*—Dicendum est non solum sanctitatem verbi et decreti constituere dignitatem Sanctissimi Josephi, nec solum Verbum est illius terminus; sed etiam Sponsa, quæ non est solum maternitas.—*Egvi.*—Dignitatem Sanctissimi Josephi formaliter sanctificare est revera conformis sententia multorum sanctorum, antiquorum patrum et aliorum gravissimorum doctorum.—*Egvi.*—Assertio hæc nostra ceteroque pia utpote in gloriam Sanctissimi Jesu

Christi et Virgini Sponsi in quorum decus cedit Josephi gloria.—*Egvi.*

Nos hæc sublimia, &c.

R Deo gratias.

R Revertere Pater noster Joseph ut intueantur te omnes dilecti filii tui.\*Super omnem creaturam exaltatum. ¶ Et tu nobis dicens: Venite ad me omnes qui laboratis estis, et ego reficiam vos. Super omnem....

### LECTIO II.

*Super omnes sanctos et angelos est immaculatus Joseph.*

Deus, in magno nostro Patre et Patriarcha et Sancto Josepho, excellentiam omnium angelorum, sanctorum consociavit. Certe: ut Jesu custos, angelus fuit; ut Christi regis et Mariæ cœli et terræ imperatricis servator, archangelus; ut superior Christo, secundum ejus humanitatem, cui ipse Jesus subditus erat, principatus; potestas fuit, quoniam dignitatem suam servavit, tamquam Mariæ Sponsus et Jesu Pater; virtus, quia in fortitudine sua, magnas vicit difficultates in ordine ad Mariæ et Jesu obsequium; dominatio, nam cupiditatibus suis a se vinctis, tyrannos quoque vicit; thronus, quia in brachiis suis multos per annos Dei Filium sustentavit, et in domo sua ipsum servavit; cherubim, quippe Mariam custodivit, quæ Jesu divinus est paradus, et seraphim fuit, causa summi Dei amoris qui in pectore suo flagrat; et etiam Patriarcha fuit, tamquam illius filii Pater, in quo omnes fuerunt nationes benedictæ; et Propheta, quia clare intellexit omne quod super Jesu passionem scriptum erat, et Apostolus fuit, quandoquidem enim, multos suo sermone et exem-

plo convertit; et Doctor magna Messiæ, ejusque Virginis Matris mysteria dicens; et Rex omnium martyrum fuit quia in anima sua æque passus fuit ac Maria, illud dolorum mare quibus Jesus se sumersit. Ergo, juxta dicta, noster Sanctissimus Joseph revera est super omnes sanctos et angelos.

Nos hæc sublimia, &c.

R Deo gratias.

R O miranda prorsus, divine Joseph, sublimitas tua.\*Dignitas tua revera est incomparabilis. ¶ Mater Dei, Regina cœli, Domina mundi appellare te Dominum non indignum putavit. Dignitas....

### LECTIO III.

*Divinus Joseph fuit dilectus a Jesu ut Pater.*

Tamquam Jesu Pater, Josephi privilegia separantes hic et nunc, consensum suum ad Incarnationem dando, nomen Jesum imponendo, ipsum nutriendo et cum ipso, omnia officia, quæ ex parentibus melior debuit facere favore melioris filii, faciendo, consideremus quanto cum amore Joseph a Jesu diligebatur. Jesus Josephum dilexit quia Joseph eum multum dilexit, magno amore reddens alium majorem; Josephum amavit quia ejus Matris verus fuit Sponsus, quam amat super omnes creaturas; eum amat quia Pater suus fuit in terris, et quia multum per ipsum fecit, et eum amat, quoniam omnibus suis cogitationibus, verbis et operibus, Joseph semper perfectissime se gessit tamquam ejus virginalis Pater. Nec alio modo potuit contingere, et enim tamquam in gratia conceptus, nihil adversus eum influere poterat, sed omnia super eum potenter et efficaciter influebant, ut melior patrum esset, ut hoc modo Jesu dilectissimus, sicut, Pater suus esset.

Jesús debitor est Josepho sui esse materiale, quod per consensum Josephi consequutus fuit; debitor est Josepho suæ servationis, quia magno cum amore eum amavit, cum labore nutrit et a morte abstulit cum magna diligentia, dum Herodes quærebat animam suam. Et ille Dominus qui uno momento, inimicos suos potuit destruere, voluit Jophum, sicut Patrem suum, eum salvare, a morte ipsum afferendo. Diligamus ergo Joseph; eum amemus toto corde nostro, tota anima nostra et totis viribus nostris, ut Jesu placeamus, qui ipsum, tamquam Patrem suum amavit.

Nos hæc sublimia, &c.

R. Deo gratias.

R. Credo Josephum fuisse mundissimum in virginitate et profundissimum in humilitate.\*Ardentissimum in charitate et altissimum in contemplatione. ¶ Et sollicitissimum ut esset adjutorium simile Virgini Mariæ. Ardentissimum....

—DIA 4 DE AGOSTO.—

LECTIO I.

—EX DOCTORIBUS.—

Quæquam non est audendum dicere aliquid esse de fide, nisi constet revelatio ex Scripturis, vel apostolica traditione, vel alia ex declarationibus ab Ecclesia requisitis; tamen audendum est dicere aliquid in honorem et gloriam Sanctissimi Josephi est pium et probabile, quando suppetunt auctoritates et rationes ut in nostro casu, loquendo de Sancto Josepho.—*Egvi*.—Paternitas Sanctissimi Josephi nec sit naturalis, nec pure civilis, nec puri hominis, sed hominis Dei, qui est vere filius matrimonialis et legitimus Sanctissimi Josephi, ut pote naturalis Sponsæ suæ.

—*Egvi*.—Omnia officia Sanctissimi Josephi sunt supernaturalia, qualis est ipsa paternitas, fundata in supernaturali actione uxoris suæ ad Christi Domini productionem terminatam.—*Egvi*.—Omni que spirituali pulchritudine fuit Sanctissimus Joseph suo modo perfectissime decoratus.—*Campov*.—Dignitas Sanctissimi Josephi est inconfungibilis cum peccato ratione auxiliorum.—*Egvi*.

Nos hæc sublimia, &c.

R. Deo gratias.

R. Transite ad me, ait Joseph, qui concupiscitis me.\*Et omnes nos filii sui. ¶ Post Jesum et Mariam te volumus videre, tibi adhærere, et in tuo protectionis munimine ferventissime demorari. Et....

LECTIO II.

Quid fecisti ad divinum Joseph honorandum.

Dum Jesus de coelo descendit e parentibus virginalibus nascens, videlicet, Josepho et Maria, manifestum fecit amorem suum erga homines, et sine impedimento in tempore, eum super id oculos suos fixit, ultra progressus fuit. Et nos quid fecimus in vita nostra? Quot dilapsæ illusiones! quot proposita numquam revocata! Tempus vitæ nostræ pertransivit; et in magno nexu annorum nostrorum, multum est quod nobis interest, et quod non licet in oblivione maneat, antequam rationem et notionem illius assumamus, et uberrimos et magni momenti fructus ab illo haurire, quæ nobis in futurum inservient. Tanquam boni josephini, quid fecimus? quid tanquam charissimi Joseph filii? quid tanquam ambaram filiarum membra? quid ut devotionem dilectissimi nostri Patris Josephi propagemus? Nos gerimus veri Josephi amatores? nos gessi fuimus, ita ut no-

men mereamur coadjutorum et cooperatorum, universalis Sociationis? de facto devotionem josephinam perfundimus ubique omnibus modis quibus Providentia voluit? Nostris cogitationibus, verbis et operibus, facti fuimus vera organa magnæ societatis universalis Sancti Josephi? Dum gratias legimus quas Pater noster cultoribus suis concedit, fiducia nostra erga ipsum roboratur? Josephum diligamus, et ita eum diligamus, ut semper sit nobis propitius.— Amen.

Nos hæc sublimia, &c.

R Deo gratias.

R Constat Josephum fuisse verum et sanctum et virginalem Sponsum Mariæ.\* Hoc conjugium cœlestis non terrenum. ¶ Quia unus spiritus, et una fides erit in eis absque ulla carnis corruptione. Hoc conjugium....

### LECTIO III.

*In te, Domine, speravi.*

Erat autem Decembris, a creatione vero mundi quatuor millesimus annus, et in via quæ decurrit inter Carmelum et Jordanem, videbatur juvenis jucunda ambulans super robustum asinum, et juxta eam, aspectu venerabilis vir, qui humile animal ducebat. Maria et Joseph ipsi sunt qui Augusti edictis obedientes, nomina sua, in Bethleem ibant, ut profiterentur, quia ambo divini Sponsi, davidicæ sanguinis erant et illa urbs erat patria sua. Progrediuntur Maria et Joseph, Providentiæ decreta venerantes, quæ omnia in numero, pondere et mensura disponit; et si Maria, hodie plus quam nunquam, illum semper fortunati, admirabilis et omnipotentis. "Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum

Verbum tuum, felicem succesum agnoscit, Joseph processit in via in animo suo considerando illam prophetiam Micheæ, qui ait: Et tu Bethlehem Ephrata parva es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus æternitatis." Maria, quæ in suo immaculato utero coeli et terræ Dominum portabat, cohortem honoris, quæ ei dant sine intermissione Angelorum legiones observat; et Joseph qui eos dirigit, imperat et utitur ipsis, illud, semper beatum, iterum atque iterum proferens: In te, Domine, speravi; et una cum postulatione, quæ ad millia millium componentes humani generis, dirigit, in suo favore clamat: "Non confundar in æternum." Sacram Familiam adoremus, dum per Hermon, Tabor, Naim et Esdrelón transeunt in Bethlehem.

Nos hæc sublimia, &c.

R Deo gratias.

R Matrimonium inter Virginem et Josephum.\* Sanctum, admirabile et cœlestis fuit. ¶ Super omnia alia matrimonia ambo fuerunt Virgines et ambo Parentes Jesu Sanctum....

—DIA 5 DE AGOSTO.—

### LECTIO I.

—EX DOCTORIBUS.—

Dignitas Sanctissimi Josephi est inconjugibilis peccato, per decretum conferendi semper auxilia efficacit.—*Egui.*—Per nos dedecet quod Joseph Pater Christi Domini sit dæmonis mancipium per peccatum originale; ergo revera illud non contraxit.—*Jos.*—Dignitas maternitatis Dei petit existere matrem.

immaculatam a primo instanti sui esse; ergo dignitas paternitatis Dei petit in favorem Josephi ut esset immaculatus a primo sui esse instanti.—*Jos.*—Peccatum originale, quamvis contractum non ex propria electione, nihilominus semper foret peccatum et fons immunda omnium peccatorum; ergo peccatum originale non fuit contractum a Joseph.—*Jos.*—Certum est non esse Tridentini intentionis comprehendere in decreto ubi de peccato originali agitur immaculatam Virginem Mariam quia est Mater Dei; ergo certum est etiam affirmare Sanctissimum Josephum in ipso Matris utero fuisse sanctificatum in secundo instanti sui esse; atque etiam pie poseimus credere illum, ut Pater Dei non contraxisse originale.—*Jos.*

Nos haec sublimia, &c.

R Deo gratias.

R Nostri divini Josephi praesentia totus illustratur orbis.\*Cum illo caelestis patria clarius rutilat. ¶ Ejusque aspectus inefabiliter auget accidentale praemium beatorum. Cum....

#### LECTIO II.

*In te, Domine, speravi.*

Omnibus in suis actibus Josephi idea, sanctissima Dei voluntas fuit; et dum sentiebat illud; caro autem infirma est, voluntatis actu supremo respondebat: spiritus promptus est. Ideoque, in illa tam solemnem peregrinatione, incedebat Joseph tetus in manibus divinae Providentiae confisus; et si verum est, quod, laborum habita ratione et sui status civilis et substantiarum, quae a Sancta Anna accipiebat, modus ei vivendi honestus erat, et secundum Messiae parentes proprium; attamen, tantum dactilorum et aliquorum ficorum ad manducandum

in itinere se providet, coetera sperando ab illa Providentia quae ab uno ad alterum Universi extremum extenditur, et quae omnia fortiter et suaviter gubernat. Verum est etiam, quod noctium frigus et glacitas; asperae viae, tantam augustis Sponsis molestiam afferebant; sed quia secum ferunt Dominum domus Israel, ab ea luce quae a divino Sole justitiae exurgit, ducti sunt. In illis ergo, nihil tenebrarum est, nihil animi languoris, nihil tristitiae, nihil quod, nec in minimo Dei voluntati opponatur. Ah! in Deo confidamus; in Deo semper fiduciam nostram ponamus; inter angustias et labores; inter tentationes, vituperia, diffamationes, cruciamenta et etiam ipsam mortem, in Deo confidamus. Hic status nostrae Congregationis parvae, gloriosus est status, et illa iterum atque iterum dicit: In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.

Nos haec sublimia, &c.

R Deo gratias.

R Admirandum fuit eximium hoc inter Virginem et Josephum conjugium.\*Merito reliqua omnia conjugia ei cedere debent. ¶ Fuit tegumentum incarnationis Merito....

#### LECTIO III.

*In te, Domine, speravi.*

Joseph et Maria in itinere suo prosequentes a longe Jerusalem prospexerunt, et statim ultra procederunt, sic enim scriptum erat de eis a prophetis. Interea Joseph et Maria, magis ac magis cogitationes, verba et opera sua sanctificant; et nunquam sicut illo tempore sese gerunt illa perfectione, quae, paternitas Christi ab eis exigebat. Joseph Prophetarum verba in memoriam revocabat, amoris legis

rationem habebat, quae jam pervenerat, ut in toto orbe terrarum se difunderet, memoriam faciebat, ut cito populi Dei Dux nasciturus est, et millia millium cordium, semper quae regnaturus fuerat, quasi per caliginem videbat; Ecclesiam quae ab ipso Jesu oritura fuerat, catholica, apostolica, una et adhuc romana et illam multitudinem magnam quae Sathanæ ejusque asseclarum honores, qui eos perdidērunt, susceptura erat. Divinae considerationes, quae magis ac magis cor suum inflamantes, amor qui in ipso ardebat, animatur, et inter asperitatem et sideris frigiditatem, viscera sua igne amoris divini incenduntur, ita ut iterum atque iterum ipsum dicere faciunt: In te, Domine, speravi. Maria apud se stans una idea, illa erat templum Dei vivum, nihil aliud dicere audebat nisi: In te, Domine, speravi; sive suspiria proferens propter illud felix momentum quo astringere spectabat inter brachia sua, Dei Filium, sive in memoriam revocans, Æternum e caelo ad uterum suum descendentem, vi sui humilis fiat: Ad Josephum et Mariam, nihil aerumnae, nihil timoris, nihil frigoris existit, nam Joseph et Maria intrinsece conjuncti cum Deo sunt, cum Deo inter dulciora colloquia se oblectant, et ad Deum suspiria animae suae amore captæ mittunt, et ut melius dicam, animae suae deificatae, quia ab illo die, Sacra Familia est jam Jesus, Maria et Joseph.

Nos hæc sublimia, &c.

R. Deo gratias.

R. Divinus Joseph nec cogitavit unquam quae sunt mundi.\* Nec Virgo Deipara similiter. ¶ Sed ambo semper tendebant sursum. Nec....

—DIA 6 DE AGOSTO.—

LECTIO I.

—EX DOCTORIBUS.—

Etiam si originale sit iniquitas ex aliena voluntate traducta, dedeceret Dei Patrem adhuc per unicum instans, in quo esset sub diaboli potestate; ergo illum non habuit, neque per unicum instans deturpatus fuit.—*Jos.*—Puritas Sanctissimi Joseph ob similitudinem cum Mariae puritate, si peccatum etiam originale ab unico instanti non excluderet, non esset aequalis cum Maria in gratia plenitudine, sed tantum in esse absque peccato; atque hoc modo videtur aequandum esse Virgini Joseph. *Jos.*—Ad eximendum Joseph a contrahendo originali, deberet esse dignitas major possibilis infra dignitatem Matris Dei ergo utpote Pater Dei, de facto non contraxit.—*Jos.*—Dignitas Sanctissimi Josephi non extiterit in ipso a tempore conceptionis si maculatus originali peccato fuerit: ergo fuit de facto sine labe conceptus, quia ab Æterno fuit dignissimus Sponsus Mariae et Pater Christi.—*Jos.*—Dignitas Sanctissimi Josephi etiam necessario consurgit, ex suo consensu, atque ex actione generativa suae uxoris terminata ad Deum hominem.—*Jos.*

Nos hæc sublimia, &c.

R. Deo gratias.

R. Est revera beatus Joseph scala admirabilis.\* Per quam Jesus et Maria advenerunt. ¶ Et nos ad ipsos per eum mirabiliter ascendere cum confidentia plenissima. Per quam....